

P R Æ F A T I O.

fide alienum, sed cum peracutas, tum prævalidas rationes juxta sanam sublimiorum in sacra Theologia Magistrorum doctrinam continere, *Tales ejusmodi nebulones possunt adhibere artes, quibus, cum palam Dei causam quam maxime promovere videntur, eam nihilominus clam perdant.*

Eo quoque recta ducit homines ejus veritatis norma, clara & distincta perceptio; cujus certitudinem tantopere asserit, tantamque jaçtat, ut, jam Deo verace cognito, ad plenissimam de veritate persuasionem opus non sit ad rationes attendere, modo nobis claræ & distinctæ obversetur perceptionis recordatio. E contra falsa illa intrepide pronuncianda statuit omnia, quæ nostræ claræ & distinctæ perceptioni adversantur: & quamvis modestiores Cartesiani hanc ultimam regulam mitius interpretari studeant, tamen quam luculentissime in priore continetur, & ipsissimis Cartesii verbis Med. VI. confirmatur: Non enim (inquit) dubium est quin Deus sit capax ea omnia efficiendi quæ ego sic percipiendi sum capax; nihilque unquam ab illo fieri non posse judicavi, nisi propter hoc quod illud a me distincte percipi repugnaret. Et iterum Epist. 105. Part. I. Ac

* 4

pro-